

## Band V., Nr. 1431, Seite 194-195

*Abt Egenhard und Konvent von Maulbronn bekennen, durch Schulden schwer gedrückt von Gerdrud der Wittve Merkelin Simelers von Speyer und deren Kindern ein verzinsliches Darlehen von 90 Pfund Heller gegen Einsetzung ihres Hofes in Schwetzingen empfangen zu haben.*

Speyer, 1257. März 1.

Universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentium inspectoribus litterarum nos frater E. dictus abbas totusque conventus monasterii de Mulenbrunne, Cisterciensis ordinis, Spirensis diocesis, concorditer et publice profiteamur, quod nos propter onera debitorum intollerabilia, quibus nostrum monasterium tenebatur partim inter Iudeos cum accessione gravis usure necnon alias satis graviter obligatum, accepimus a Gerdrudi relicta<sup>a</sup> Merkelini dicti Simeler et suis pueris Merkelino, Alberto, Triutlindi et Adelheidi de Spira nonaginta libras Hallensium tali modo, quod nos ipsis vel heredibus eorundem in festo sancti Georii terciam dimidiam libram Hallensium<sup>b</sup> et in festo sancti Martini proximo consequente tantum annis singulis perpetuo persolvere teneamur. Cum ipsis etiam participat in hoc censu Adelheidis filia ipsius G., quam genuit de marito quem nunc habet. Et si nos in aliquo predictorum festorum in solutione talis census, qui competit illi festo, fuerimus negli[g]entes, predictae G. et suis pueris vel heredibus eorundem in crastino consequente ad solvendum censum tenebimur duplicatum secundum consuetudinem civium Spirensium multis temporibus approbatam. Si vero per maiorem negli[g]entiam non solverimus duplicatum sic censum infra unum annum a predictis diebus festorum et solutionis tempore computatum, extunc curia nostra, quam habemus in Svezzingen, cum suis pertinentiis universis ad dictorum Gerdrudis et puerorum suorum vel ipsorum heredum proprietatem transibit eodem iure quo ad nos hactenus pertinebat, nobis tamen nichilominus supplementibus, si quis defectus fuerit in curia memorata quoad censum annuum pretaxatum. Licet nobis etiam ipsam curiam, antequam ad eorum proprietatem transeat per negli[g]entiam supradictam, alienare, vendere, commutare, dummodo nos ipsis alias de bonis nostri monasterii securitatem bonam et sicut convenit faciamus. Sane memorie commendandum, quod, quandocumque nos volumus prelibatum censum reemere pro simili pecunie quantitate, videlicet nonaginta libris Hallensium, ad hoc habebimus liberam facultatem nec tamen in ipsa pecunia tertia filia Adelheidis superius

<sup>a</sup>Original fälschlich: *relicte*.

<sup>b</sup>Original abgekürzt: *\$dim\$. \$lib\$. ha\$ln\$.*

## II

nominata participat quoquomodo, quia tantummodo in perceptione census partem debet capere et non in pecunia capitali. Ipsi etiam Gerdrudis et sui pueri memorati vel eorum heredes eundem censum possunt alias vendere, si voluerint, dummodo in reemptione per nos cum voluerimus facienda nullum impedimentum vel obstaculum se opponat. Post mortem, vero predictarum Gerdrudis et suorum quatuor puerorum Adelheidis superius habita, si superstes fuerit, cum aliis coheredibus partem percipiet omnium predictorum. Et ut hec rata permaneant et penitus inconvulsa, duo sunt instrumenta conscripta super hiis unum tenorem continentia et sigillis venerabilis patris nostri domini . . abbatis novi [castri]<sup>1</sup> et nostro sunt fideliter roborata, quorum unum nobis retinimus, alterum vero Gerdrudi, suis pueris vel suis heredibus tradidimus conservandum. Testes huius rei sunt de Mullenbrunne monachi: Cŕnradus prior, Heinricus maior cellerarius, Gotfridus quondam abbas et Vlricus notarius, de conversis sunt isti testes: frater Heinricus de *Scrhec*, frater Cŕnradus de Ketsch, frater Bertoldus de Spira, frater Willehelmus, frater Cunradus de Dŕtenhofen et totus conventus.<br> <br> Acta sunt hec apud Spiram anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LVII<sup>o</sup>., kalendis Marci.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.<br> <br> Nur noch die Pergamentstreifen für zwei Siegel sind vorhanden.

---

<sup>1</sup>Kloster Neuburg.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

A 502 U 1259

**Überlieferung und Textkritik:**

War 1909-2006 im HStA München, nach Eintrag im Repertorium HStA Stuttgart A 502 Bü 157 im Jahr 1909 an Bayern abgegeben.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Speyer

**Aussteller:**

Egenhard; Abt von Maulbronn Maulbronn; Konvent

**Ortsindex:**

Dudenhofen, RP<br> Ketsch Wohnplatz (6376)<br> Ketsch, HD<br> Leopoldshafen Wohnplatz (5547)<br> Leopoldshafen, Eggenstein-Leopoldshafen, KA<br> Maulbronn Wohnplatz (7043)<br> Maulbronn, PF<br> Neuburg, Dauendorf, Dep. Bas-Rhin, Frankreich<br> Schwetzingen Wohnplatz (6522)<br> Schwetzingen, HD<br> Speyer, SP